ſuſcitaret, excurſionibus ſuis exerceret, inque cœlum ad Conditoris ſui laudes inveſtigandas irritando pertraheret.

Hic eſt ille potentiſsimus inventionum humanarum Domitor: qui omnibus Aſtronomorum irriſis expeditionibus, eliſis machinis, profligatis copiis hoſtilibus, Secretum Imperii ſui, cunctis retro ſæculis cuſtoditum poſſederat ſecurus, curſusq; ſuos exercuerat liberrimus & incircumſcriptus: ut præcipuam querelam inſtituerit Myſtes ille Naturæ, Latinorum celeberrimus C. Plinius: MARTIS INOBSERVABILE SIDVS ESSE.

Fama eſt, Georgium Joachimum Rheticum, Patrum memoria non incelebrem Copernici diſcipulum, & qui reſtaurationem Aſtronomiæ primum auſus concupiſcere, mox non ſpernendis obſervationibus & inventionibus affectaverat: dum in motu Martis hæret mirabundus, neque ſe explicat; ad Genii ſui familiaris oraculum confugiſſe: ſeu ejus eruditionem (ſi diis placet) exploraturus, ſive veritatis impotenti deſiderio: atq; hic exaſperatum immitem patronum, importuni ſciſcitatoris alternis capillitio arrepti, caput ad imminens laquear adflixiſſe, iterumque dimiſsi corpus in pavimentum proturbaſſe, addito reſponſo: Hunc eſſe motum Martis. Fama malum, quo non aliud nocentius bonæ famæ; tam enim ficti pravique tenax eſt, quam nuncia veri. Non eſt tamen incredibile, Rheticum ipſum, non ſuccedentibus ſpeculationibus, conturbato ſpiritu conſurrexiſſe furibundum, caputq; alliſiſſe ad parietem. Quid mirum enim, ſi eadem accide-

acciderunt Rhetico, Martis provocatori, quæ olim C. Octavio Auguſto Cæſari; cùm duce Quintilio Varo; quinque Legiones perdidiſſet, ab hoſte Arminio, Martis noſtri Germanici pullo, circumventas.

Atqui, ut in cæteris imperiis, ſic hic quoque nulla re magis innixa ſuſtentabatur hoſtis noſtri potentia, quam perſuaſione & trepidatione vulgi hominum: quam contemnere, ſemper ego viam ad victoriam eſſe putavi. Quippe cum eſſem in hoc Naturæ theatro mediocriter verſatus: illud me, uſu Magiſtro, didiciſſe perſuadebar, non multum diſtare, ut hominem ab homine, ſic neque ſtellam a ſtella, hoſtem ab hoſte: quare non facile recipiendum ſermonem, qui de gentis ejuſdem individuo uno temere aliquid inſolitum ſparſiſſet.

Imprimis vero laudanda hic eſt TYCHONIS BRAHE, ducis in hac militia ſummi diligentia; qui FRIDERICI II. & CHRISTIANI Daniæ Regum, tandemque & Sæ. Cæ. Mtis. Væ. auſpiciis, pene continuis viginti annorum noctibus, omnes nobis hoſtis hujus conſuetudines exploravit, omnem militiæ rationem obſervavit, omnia conſilia detexit, librisq; moriens perſcripta reliquit.

Quibus ego libris inſtructus, ut in hanc curam BRAHEO ſucceſsi, primum metuere deſii, quem jam mediocriter cognoveram: deinde notatis diligenter temporum articulis,